


ad datam, ita datum ad quadratum dq . Deinde dicens tanquam uniuersaliter dictum habeat determinationem: adiectis autem problematibus ab eo inuentis, hoc est ipsam db duplam esse ipsius bf , & ipsam bf maiorem ipsa fh , non amplius habet determinationem magis particularē. Resumit problema, & dicit, quod est tale problema hoc: Duabus rectis datis his db , bf , & ipsa db dupla ipsius bf , & puncto in bf ipso h , secare ipsam db puncto q , non iam sicut prius ipsam df dicens, sed db oportere diuidi, propter id quod nos supra demonstraui, quod ipse inspiciebat duo puncta sumpta esse in df , quae facerent problema: unum quidem inter db , alterum uero inter bf , quorum quod est inter db ad propositionem ex principio pertinebat.

Hac igitur consentanea uerbis Archimedis, prout potuimus, aperte descripsi mus. Quoniam autem, ut predictum est, Dionysodorus nullo pacto descriptis in fine ab Archimede praenunciatis incidens: adnixus autem ad inuenienda, quae non exposita essent, aliam uiam ingressus totius problematis, conscripsit haud indignum inuentionis modum necessarium: quem existimaui oportere istis conuenire fideliter, quantum potuimus. nam & ipse nimia hominum negligentia magnam demonstrationum partem multitudine errorum deletam habens, in omnibus quibus nos incidimus scriptis ferebatur.

MODVS DIONYSODORI.

DAtam sphaeram plano ita secare, ut portiones eius habeant inuicem proportionem datam. Esto data sphaera, cuius diametros ab , & proportio data quam habeat cd ad de . Oportet igitur sphaeram plano erecto ad ipsam ab secare, ita ut portio cuius uertex a , ad portionem cuius uertex b , habeat proportionem, quam habet cd ad de . producat ba in f , & ponatur af dimidia ipsius ab . & quam proportionem ce habet ad de , habeat eam fa ad ag , & sit ipsa ag ad angulos re-

ctos ad ipsam ab , & sumatur ah media proportionalis istarum af , ag . Igitur ah maior est ipsa ag , & circa axem fb per f describatur parabole, ita ut deductae possint iuxta ipsam ag , quae ibit per h , quoniam contentum sub fa , ag est equale quadrato ah . Describat itaq; & sit puta fhk , & per b ducatur kb aequedistans ipsi ah , & secet parabolam puncto k , & per g circa incoincidentes has fb , bk describatur hyperbole, quae diuidet parabolam inter hk : secet in puncto l , &



ducatur ab l perpendicularis ad ab ipsa lm : & per puncta g , l ducantur ipsi ab aequedistantes gn , lx . Quoniam igitur ipsa gl est hyperbole, & incoincidentes iste ab , bk , et aequedistantes ipsis ag , gn , istae ml , lx , erit contentum sub ag , gn aequale contento sub ml , lx , ex octauo theoremate libri secundi Elementorum conicorum Apollonij. Verum ipsa gn est aequalis ipsi ab , & ipsa lx ipsi mb . Contentum igitur sub lm , mb , est aequale contento sub ga , ab . Et quia contentum

Ee 3 sub